



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

De Dedicacione Eivsdem. Capvt VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

Matris Christi Patronæ ipsius, quæ in altum erectum quam inexpugnabili opere structuræ, muris etiã validis & excelsis, columnis sublimibus, testudinis firmitudine, & pulchritudine fulciatur, ornatu interius rutilans, campanarum sonore præcellens, ut nihil supra per omnem regionem illã, vel fuisse vel futurum esse celebri sermone feratur. Et quia hæcenus summo omnium rerum auctori minime placuit ut adhuc amplius & dignius, resplenderet, quã plurimis tamen Deo psallentibus præconibus, & ministris sibi competentibus, sub Regula S. Augustini Ord. Præmonst. laudabiliter conuersantibus ad ornatum perpetuò claret.

## DE DEDICATIONE

EIVSDEM.

## CAPVT VIII.

**E**IA fratres qui aures intenditis ad librum, & corda sursum habetis ad Deum, quos Mater misericordiæ in ministros, imò potius sibi in filios adoptauit, audite audientes me, & collaudate vestram unanimiter aduocatam. Etenim quando Templensis Ecclesia à venerabili Patre, Domino Ioanne foelicis recordationis sanctæ Pragensis Ecclesiæ Episcopo mense

Augusto dedicabatur, nobis admirandum & posteris apprimè recolendum signū in cœlo diuinitus est ostensum. Nam super ipsum Monasterium Matris Christi, stella lucidissima fixa stetit, videntibus & admirantibus, qui aderant, vniuersis, eo præcipuè tempore, quo sol feruentior & aer serenior esse solet, quæ tam diu lucis suæ radios ministravit non solū ad consummationem dedicationis Ecclesiæ, verum etiã dedicatione completa per totam diem humanis obtutibus visibilem se ostendit, donec nocte secuta inter alia cœlestia radiaret lumina. Quid inquã Fratres? quid per stellam significari credimus, nisi diuinam gratiam, quæ suæ Genitricis precibus nos præuenit, & sequitur. Possumus etiam per stellam intelligere Matrem Domini quæ seruos suos, in huius maris amaritudine laborantes, in viam pacis dirigit & deducit ad portum, vos inquã speciales seruos suos, qui in claustro Teplensi, vbi illa stella apparuit, spiritualem sub Regulari disciplina militiam exercetis. Perseuerate igitur viriliter dimicantes, & accipietis regnum æternum.